Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26120
Copyright: Admont, Benediktinerstift

quod ita cauit praedictus fuerat ordo acceptae ueniae custoditur, ut in sacrificiis domini non illorum sed beati Iob cum oraret pro amicis suis faciem suscepisse referatur. Sed quia quisquis pro aliis intercedere nititur, sibi potius ex ipsa caritate suffragatur, recte subiungitur: Dominus quoque conuersus est ad paenitentiam Iob, cum oraret pro amicis suis. Iam enim superius pro amicis suis exauditus ostenditur, cum factum quod praediximus memoratur: Fecerunt sicut locutus fuerat dominus ad eos, et suscepit dominus faciem Iob. Sed cum protinus subinfertur: Dominus quoque conuersus est ad paenitentiam Iob cum oraret pro amicis suis, aperte ostenditur quia etiam pro semetipso paenitens tanto citius exaudiri meruit, quanto deuote pro aliis intercessit. Plus enim ipse ualere preces suas efficit, qui has et aliis impendit. Libentius quippe sacrificium orationis accipitur, quod in conspectu misericordis iudicis proximi dilectione conditur. Quod tunc ueraciter quisque cumulat, si hoc etiam pro aduersariis impendat. Hinc est enim quod magistra ueritas dicit: Orate pro persequentibus et calumniantibus uos. Hinc rursum ait: Cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem, ut et pater uester qui in caelis est dimittat uobis peccata uestra. Quantum uero ipse obtinuit, qui pro aliis intercessit, ilico demonstratur, cum subditur: Addidit dominus omnia quaecumque fuerant Iob duplicia. Cuncta quae amiserat duplicia recepit, quia pro pietate benigni iudicis temptationis nostrae dispendium uincunt suffragia consolationum. Aliquando enim temptatum probationem quantum remuneratio consolatur, ut ex retributionis merito leue fuisse quod tolerauit agnoscat, quod ex persecutionis pondere graue se alii quod tolerare iudicabat. Unde afflictae quoque Iudaeae dicitur: Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te. Aliquando uero iuxta afflictionis pondus disponitur mensura consolationis. Unde alias scriptum est: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuae domine laetificauerunt animam meam. In ea enim mensura consolatum se inquit, qua afflictus fuerat, indicat, qui se laetificatum secundum multitudinem dolorum suorum clamat. Non autem minime lector instruitur, si ipsum remunerationis ordinem contemplatur.